

CANCELL*
MARTIS B**
1718*



P. L. i. No. 65

2/8. April 15

~~Handwritten scribbles in red and black ink, possibly a signature or name, crossed out with a horizontal line.~~

~~XXVIII 9. a~~



J. N. D. N. J. C.
DISSERTATIONEM
De

**LICITO USU
ET GRAVISSIMO
ABUSU JURAMENTO-
RUM,**

SUB MODERAMINE

DN. HENRICI BODINI,

Juri Famigeratissimi,

Potentissimi Elect. Brandenburgici Consi-
siliarii, Consistorialis Ducatus Magdeburgensis meri-
tissimi, Facultatis Juridicæ Professoris
Gravissimi,

Domini Patroni ac Cognati

atatem devenerandi

IN ILLUSTRIFRIDERICIANA

Die April. publice ventilandum sistit

THEOPHILUS VOGEL,

Herfordia Westphal.

M DC XCIV.

RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1714.



DISSERTATIONEM

D.

LICITO USU

ET GRAVISSIMO

ABUSU PER AMEN TO

RUM.

208 MODERNIS

DR. HENRICH BOHME

ICI Königsberg

Potentissimi Elect Brandenburgici Cons.

stanti Consistorii Electoris Brandenburgici

ordini, hinc inde in hoc Protocollo

causam

Domini Patris ac Cognati

causam

IN URBE FRIDERICIANA

di

THEOPHILUS VOGEL

Historia W. G. H. H.

si de

A. BOHME W. G. H. H.

Litens CHRISTIANI HENCKELL, Acad. Typogr. 1781





I. N. D. N. J. C.

Thef. I.



Um summus Creator

& Artifex totius Univerſi, magnam mundi machinam admirando ordine partium inter ſe ſe produxit, ſingulis rebus creatis certum officium impoſuit, quod quando expediunt, jucundiffima Harmonia, ſanctiffimæ voluntati ſummi Creatoris, ſatisfaciunt, ab eoq; conſervatio totius univerſi & ordinis naturæ dependet; præcipue autem homini velut Microcoſmo, præter internas mentis facultates, quibus voluntatem ſuam in ipſo ordine naturæ manifeſtatam cognoscere ac ſubmiſſa obedientia ſequi poterat, organa quoque externa conceſſit, quibus ad gloriam Creatoris ac conſervationem ſui ac naturæ creatæ uti poſſit & debeat: Miſerrimo vero lapſu primorum parentū & animi & corporis perfectio ita depravata eſt, ut fere nullo non momento, in ſanctiſſimam DEI voluntatem, creaturas ad alium quam in quem a Creatore deſtinatæ erant uſum adhibendo, homines impingant; quod per intellectus relictas quaſi ruinas omni poſſibili modo præcavere, cuique, maxime autem circa ea quæ ad rem publicam regendam pertinent, Magiſtratui incumbit; in ſpecie neminem inſicias ire arbitramur; facultatem & organa loquendi & inde profluentem ſermonem, homini non ad fallendum ſed ad Gloriam DEI, ſui & pro-



ximi commodum promovendum, & juxta hæc, exprimenda vera animi sensa concessa esse. vid. Excell. Dn. Puffend. *de officio Hom. & Civ. c. 10.* à quo tramite dum plurimos sæpius aberrare, falsa pro veris exprimere, promissa non servare & ita socialitati, humanæ nocere videamus, juramenti religione, deficiente alio remedio improbitatem linguæ coercere, apud plerasque gentes invaluit. Omnis quippe disputationis finis juramentum est. *Epist. ad Hebr. c. 6. v. 16.* & jusjurandum ab hominibus habetur omnibus ultimum atque firmissimum & fidei mutua & veracitatis pignus; *inquit procop. Persic. 2. & Halicarnass.* Ultima fides inter homines tum Græcos, tum Barbaros, quam nulla delebit ætas, est ea quæ per jurata pacta sponsores adhibet DEOS. Sic & Ægyptiis *jusjurandum* dictum fuit *maxima fides hominibus inter se.* vid. Hug. Grot. *d. J. B. & P. lib. 2. C. 13. n. 13.* Puffend. *d. O. H. & C. c. 11. §. 1. & 2. Cam. 1. Caus. 22. qu. 1.* De qua nobilissima materia pro modulo ingenii juxta Principia a Dno. Præside in lectionibus suis demonstrata; generaliora de **USU ET ABUSU JURAMENTORUM** paucis propositurus sum.

Th. II.

Est autem juramentum in genere nihil aliud quam invocatio superioris in vindictam falsitatis. Hinc si promissio sive afferatio alicuius fiat de tali negotio de cujus adimplerione & servanda aut non servanda fide extrinsecus constare potest, recte per Principem tanquam superiorem vindicem falsitatis juratur. vid. *Genes. 42. v. 15. 2. Samuel. II. v. 11. ad Ebr. 6. v. 13. & 16. §. 1. instit. d. fideic. hæred. ibique Vinn. in notis.* Quia vero in plerisque afferationibus ad interna animi sensa & veritatem occultam respi-

spicitur, idcirco nemo nisi omniscius cordium scrutator & simul in testem veri & vindicem falsi asserti recte invocatur; & hoc sensu recte definitur juramentum, *religiosa asseveratio per invocationem Dei in testem & vindicem* Struv. Syntag. Jur. C. Exercit. 17. tb. 2. Puffend. de O. H. & C. c. 11. §. 1. quod etiam fieri existimo ubi nominando creaturas, summus illarum Director & Dominus inuocatur. *Conf. Genes. 31. v. 54. 1. Sam. 17. v. 56. 2. Sam. 14. v. 19. Deut. 4. v. 26. & 6. v. 19. C. 31. v. 28. 2. Reg. 4. v. 30. Hug. Grot. de I. B. & P. C. 13. n. 11.* huc pertinet commune illud, *Et wahr ich lebe, It. Bey meiner Seele, &c. It. Matth. 5. v. 34. & seqq.*

Th. III.

Antequam autem ulterius progrediar discutendum utrum jurare liceat? quod non solum Imperatoris Justiniani ævo in dubium vocatum *l. 31. de Fid. Instrum.* fed & Mennonistas multosque alios suffultos Præcepto Christi *Matth. 5. v. 34. & seqq.* hodie negare in propatulo est. Pro cuius arduæ quæstionis decisione breuitatis studio missis variis pro utraque opinione afferri solitis argumentis cum Augustino affero, Salvatorem nostrum dicto loco temeritatem jurandi coercere, ac prohibere voluisse juramentum tanquam bonum appetere, ac citra necessitatem de relicto vera vel nominando creaturas, vanum juramentum addere *vid. Can. 2, 3, 4, 5, & 6, caus. 22. qu. 1. Struv. Exerc. 17. tbes. 3. & tbes. 7. Borchold de Jurej. c. 1. n. 4.* Quanquam aliquando non displicuerit opinio illorum qui existimant, sanctissimum Redemptorem nostrum *cit. loc. de voto Deo faciendo locutum ac prohibuisse, ne quis promissioni DEO factæ in maiorem asseverationis fidem, creaturas quasi vindices ponat, cum jurandum*

dum non aliter sit, quam per alium quis sit major & jurante & eo cui juratur, ut is quasi utriusque iudex in illa causa constituatur juxta illud *ad Ebr. 6. v. 13. 16. & seqq. Ep. Jac. 5. v. 12.* veletiam ne juramentum temere per creaturas factum quasi nihili æstimeretur, sed in illis DEUM implicite in vanum invocare homines timeant, ac promissiones suas sine talibus contestationibus adimpleant, *vid. Matth. 23. v. 16. & seq. Hug. Grot. d. F. B. & P. C. 13. n. 21. Colleg. Argent. ad tit. ff. de Jurej. §. 14. n. 5. Becanus de Controv. Anabapt. c. 5. & Anasyl. V. & N. T. C. 15. Covarr. in C. quamvis I part. §. 6. n. 1. d. pat. in 6to. Concord. Calyxt. l. 3. c. 5. p. 133.* Manet ergo non esse absolute prohibitum jurare sed potius expresse permissum *Deut. 6. v. 13. & c. 10. v. 20.* si quis tamen Mennonista aut alius conscientia ductu jurare recuset, vi externa ad id cogendus non erit, nec, si forte ipsi juramentum delatum sit, quod ex superstitione nec prastare nec referre velit, propterea causa cadere, sed potius ab eo talis asseveratio acta qua ille se in conscientia summe obligari credit, assumenda.

Th. IV.

Ex dictis patet non solum pejerare prohibitum esse, quod Octavo Dei Præcepto continetur, sed & juxta præceptum secundum primæ tabulæ omni modo præcavendum ne Sanctissimum nomen DEI vel explicite vel implicite sumatur in vanum, id est temere ac citra necessitatem, multo minus ejus vindicta provocetur. Potius Sacratissimum illud æterni Numinis nomen cum timore sanctificetur, quod prima petitio orationis Dominicæ continet, hinc Germanis jurare denotat *Schweren*, eo quod jurantes grave in se suscipiant onus, *nehmen ein Schwer, ja das allerschwereste Ding auff sich*, dum ad

Cœ.

Cœli terræque Creatoris Tribunal Augustissimum & tremendum in omnium & superarum & inferarum rerum veluti præsentia constituti, sententiam plane horrendam sibi met pronunciant, quod scilicet Dei immensæ gratiæ auxilioque exoptatissimo prorsus privari æternisque cruciatibus & igni inextingvibili se subijci velint, si scientes fallant. Quapropter ad juramentum non nisi ex summa necessitate, accedente superioris autoritate properandum, illudque nunquam ad faciendum incredulo fidem sponte interponendum erit, dum ab *Apostolo Jacobo in Ep. C. 5. v. 12.* tam severe & NB. *ante omnia monemur à quocunque juramento abstinere & sine execratione veritatem dicere ac promissis stare, ne in hypocrisim* (gravissimum peccatum) *incidamus, necessitate vero exigente & Judice requirente jurare permissum manifesto constat, ex Deut. 6. v. 13. & C. 11. v. 20.*

Th. V.

Licet ergo vocabulum juramenti generale sit, extrajudicialia & temeraria, æque ac judicialia & quæ superioris autoritate præstantur comprehendens *vid. L. 34. §. 5. ff. de Jurejurand. L. 25. §. 3. d. Probat.* Veteres tamen istud juramentum quod Magistratus vel Judicis auctoritate solenniter præstandum, ut plurimum ac in specie jusjurandum vocarunt, quasi quod illud demum jus inter partes constituat & Jure præstetur, *l. 33. ff. & tot. Tit. ff. & Cod. d. Jurejur. vid. Vult. discept. Schol. c. 7. Serferd. Juram. lib. 1. c. 1. n. 3. Speidel in notal. voc. Nydt.* Interim illud quod extrajudicialiter, licet temere & peccaminose interpositum, ac sine dispendio salutis servari potest, merito servandum, *persolves enim Domino ea que jurasti Matth. 5. & 34.* ne ille qui temere jurando secundum de-

decalogi præceptum transgressus est, illud non servando novum peccatum incurrat. Utrum vero expediat, secundum dispositionem juris Civ. juramento negotio Jure Civ. invalido superaddito, omnem efficaciam in foro externo denegare *per l. 5. inf. C. de LL. ac solum conscientia & Ecclesiastica Censuræ transgressores committere, quod jus Can. pro evertendo jur. Civ. potissimum intendere vid. C. 28. Xtr. d. jurejur. juncto Cap. I. c. 6. c. 7. c. 10. c. 15. c. 18. c. 20. & c. eodem, contra Canonicas vero Leges, licet de Adiaphoris latas nullam nec juratam transgressionem admittere videtur c. 21. c. 27. eod. & passim.* an vero melius sit juxta usvalem interpretationem & communioem Praxin, talia juramenta etiam in foro externo attendi, & indistincte si super negotio jure humano Civ. vel Can. invalido juratum sit illud juramentum in judicando sequi, tanquam ad legislativam magis quam ad judicariam prudentiam pertinens merito relinquo, sufficere existimans posteriorem illam in Praxi receptam opinionem cum justitia divina & naturali non pugnare.

Th. VI.

Ut autem juramentum licite & rite præstetur, quædam jure Divino, quædam jure humano & moribus ad illud requiruntur; jure Divino primo requiri existimo, ut juxta explicata in th. 3. & 4. illud non nisi magistratu exigente vel ex autoritate suprema aut in causa ad judicium externum non pertinente præstetur; Sin secus, & juratum tamen non tendat contra præjudicium tertii aut dispendium æternæ salutis, illud quidem servandum, secundum tradita in th. præced. qui vero ita temerè juraverunt aut tale juramentum ab altero exegerunt, merito

rito a Magistratu puniri, simul ecclesiasticæ censuræ sub-
 jici deberent, ut sic homines assuescerent, non enim Domi-
 ni non sumere in vanum, sed fidem datam servare & le-
 ges non transgredi: vid. *can. 2. § 13. XXII. qu. 1. c. 14. dist.*
c. 22. q. 4. § c. 21. qu. 5. ibid. e contra in judiciis, inter illa
 quæ extrajudicialiter certo conventa aut promissa & illa
 quæ juramento confirmata sunt, nulla deberet admitti
 differentia, quia sicut in juramento nullam convenit esse
 perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse
 mendacium, quia utrumque & perjurium & mendacium
 Divini judicii poena damnatur, dicente Scriptura, *Os quod*
mentitur occidit animam; quisquis ergo verum dicit satis
jurat. *Sunt verba in C. 12. caus. 22. q. 5.* Qui vero supe-
 riorem in hoc seculo non agnoscunt vel negotiis ad judi-
 cium externum non pertinens, tractant, illis licere vide-
 tur conventiones, fœdera, pacta, aliasve asseverationes,
 juramento corroborare. *Vid. Gen. 21. v. 23. C. 25. v. 32. c. 31.*
v. 50. 1. Sam. 20. v. 17. c. 24. v. 22. 23. § c. junct. can. 1. 2. § 13.
Caus. 22. qu. 1. Ex eadem ratione de non temerando San-
 ctissimo Divino nomine, ad jusjurandum & illud requiri
 videtur, ne etiam Magistratus facilis sit in admittentis aut
 requirendis juramentis, ut non tantum jurare non faciat
 quem facile præsumit pejeraturum *C. 1. c. 13. c. 54. c. 56. X.*
d. test. § attest. c. 5. 6. § 13. caus. 22. qu. 5. sed etiam ubi res a-
 liter expediri potest, juramenta non exigat. *C. 2. X. de pro-*
bat. nec ultra quam necessitas causæ requirit admittat. C.
37. vers. volentes autem X. d. test. § attest.

Th. VII.

Secundum, quod de jure Divino ad juramentum li-
 citum requiritur, est veritatem aliter probari aut sciri non
 posse. Secundum deducta *in tb. 4.* & ita tunc demum

B

Ma-

Magistratus juramentum licite exigit vel admittit, si ex
ejus defectu justitia (occulra veritate) succumberet; sunt
verba in *C. 32. X. d. jurejur.* Si ergo res aliter expediri pos-
sit juramentum non erit exigendum; hinc non tantum illi
graviter peccant, & coercendi sunt qui instrumenta in
manibus habentes adversarium in periculum perjurii in-
ducunt, aut de justitia causæ suæ certi, partem alteram de
calumnia jurare faciunt, quo ipso adjudicatione expen-
sarum minimum carere debent; Sed & Magistratus a
peccato non immunes sunt, qui ibidem juramenta requi-
runt, & animam hominis, pro cujus salute Deus filium,
suum morti exposuit, in maximum periculum inducunt
ubi justitiæ alio modo satisfieri poterat;

Th. VIII.

Tertium juris Divini requisitum est, ut juramentum
per verum Deum præstetur. *Deut. 6. v. 13. & C. 11. v. 20.*
hinc a non Christianis non aliud accipiendum, aut ipsis
præstandum erit juramentum quam per omnipotentem
Creatorem & Dominum totius universi; qui licet eis non
ita sicuti nobis manifestatus sit; exinde tamen illos dum-
modo moraliter prohi sint Deum submissæ timeant, & in
ejus misericordia omnem suam salutem felicitatem ve
quærant, omni divina gratia exclusos esse & nomen Do-
mini ab illis in vanum sumi, periculosum nobis videtur
asserere. *vid. Exod. 6. v. 2. Job. 1. v. 1. Act. 10. v. 2. junct.*
v. 44. Ibid. E contra tamen a juramenti præstatione, quam
ab ejus a parte altera facienda exactio, merito repellendi,
quos crimen, vel mores improbi, de perjurio reddunt
suspectos. *vid. L. 35. §. 1. ff. de Jurejur. L. 3. §. 5. l. 14. 15. 21. d.*
test. Cap. infam. C. 6. qu. 1. C. 54. X. de testib. Qui vero per
Deafros jurarunt, licet jurando idololatriam commise-
rint,

rint, adjurati tamen observationem sub perjuri reatu ob-
 stricti sunt. *vid. Can. 9. & Can. 10. caus. 22. qu. 5. junct. Can.*
26. qu. 1. ibid.

Th. IX.

Quartum quod Divina ac Morali lege ad justitiam
 juramenti requiritur est, ut illud quod juratur nō sit con-
 tra Dei jura universalia tam expressa quam tacita, non læ-
 dat Socialitatem communem. Superioris aut alterius
 tertijus, tale enim vim obligandi non habet. *C. 58. de R. F.*
in 6to. c. 2. d. pact. in 6to. c. 18. & c. 28. X. de Jurejur. Can. 3. 4. 5.
20. 18. c. 22. qu. 4. Can. 11. 13. qu. 3. ibid. jurantem tamen per-
 juri reum facit. *dict. text. & c. 12. in f. X. de Jurejur.*
 Quod autem contra proprium solum interesse, licet juri
 Divino particulari refragante, alterius inductione jura-
 tum, illud est servandum, *Can. 23. c. 22. qu. 5. C. 6. X. de Ju-*
rej. Et quod quis legitimum esse credidit & ita juravit,
 cum tale non sit, omni possibili modo sic temperet diri-
 gatque, ut obligatione manente, illegalitatem quæ sube-
 rat removeat. *C. 18. dict. tit. & Can. 7. XXII. qu. 4.* quod ve-
 ro contra antecedens aliud licitum juramentum juratum
 est, illud tanquam illicitum non servandum *c. 16. X. de Ju-*
rej. nisi ex juramenti posterioris retractatione aliquis ter-
 tius magis lædatur, vel obligatio arctior subfit, ex cujus
 dissolutione majus oriretur scandalum. *vid. c. 22. X. de*
Spons. Ex quibus facilius decidi poterit ardua illa quæstio;
 Quousque juramentū, pro conservatione vitæ vel bono-
 tum metu præstitum, obliget? ad quod distinguendum,
 utrum juratum si servetur tendat, simul, in præjudicium
 tertij, aut gravius peccatum in se contineat, necne; prio-
 ri casu juratum quidem servari non debet; per supra al-
 legata, *vid. & Can. 20. dict. caus. 22. qu. 5. & c. 6. & 7. qu. 4.*

B 2

ibid

ibid. l. 5. §. 3. ff. de Jurejur. non tamen a gravissimo reatu in-
 fons erit, qui plus vitam hanc temporalem & bona exter-
 na, quam DEum & animam dilexit, ac nomen Domini
 imo tremendam ejus vindictam, non solum in vanum,
 sed & in illicitum & falsum provocavit *vid. c. 14. §. 21.*
caus. 22 qu. 4. §. c. 1. qu. 5. ibid. quod cum Petro amaro
 fletu & precibus devotis, fiducia in Christi merito collo-
 cata, expiari studeat *vid. Can. 18. dict. c. 22. qu. 4.* Postero-
 re casu injuste quamvis a latrone vel homine malo exa-
 ctum, præstitum tamen studiose servandum, *vid. Can. 1.*
c. 14. 15. 16. §. c. 17. in fine dict. c. 22. qu. 2. cap. 25. in f. X. de Ju-
rej. Et quia per juramentum ad Dei tribunal ejusque vin-
 dictam provocatio fit, nullique hominum potestas com-
 petit quenquam obligationi qua Deo obstructus erat exi-
 mere; ideo nullus Princeps vel Magistratus aut Episcopus
 ab obligatione juramenti, si qua ad servandum adfuit, ab-
 solvere poterit; quod attentando, alterius peccati sese par-
 ticipem facit, contra prohibitionem Pauli *in Epist. ad Tim.*
c. 5. v. 22. videatur apprime *c. 15. §. 25. in f. X. de Jurej.* quic-
 quid etiam hic in contrarium statuat Pontifex *in c. 2. 8. 15.*
X. de Jurej. §. c. 2. §. 4. X. de his qua vi metusve.

Th. X.

Quintum requisitum Legis Divinæ est ut sine omni
 furo præstetur. *vid. Can. 13. c. 22 qu. 2.* & quidem in specie
 sic quemadmodum intelligit ille cui juratur. *can. 9. qu. 5.*
ibid. si quis tamen ex errore, de alia re vel causa quam sub-
 esse credidit sine fallendi animo juravit, aut illud juramen-
 tum quod præstitit non intellexit; ex eo non obligatur.
 cum error omnem consensum excludat *l. 51. ff. de pact.*
vid. Struv. Exerc. 6 tb. 35. Ames de conscient. lib. 4. c. 22. qu.
9. n. 28. & Deus non verba sed intentionem respicit; *vid.*
Can.

Can. 11. dist. c. 22. qu. 5. quod & recte ad illos qui vel obæta-
tem, morbum aut ebrietatem quod agunt non intelli-
gunt, extenditur. *l. 26. in f. ff. de Jurej. Setfer. de Juram.*
lib. I. c. 6. Struv. Exerc. 17. tb. 16. in fin. Hinc Jure Canonico
recte dispositum ut illi qui Juramentum præstare de-
bent, sint jejuni. *Can. 16. XXII. qu. 5.* item quod moribus
inter Christianos ad præstationem Solemnis juramenti
non alii admittantur, quam qui in Christiana religione
edocti ad Sacram Cœnam admissi sunt; ut illis tam cau-
sa de qua jurandum, quam ex perjurio imminens gra-
vissimum periculum clarius explicari possit: *C. 14. 15. 16.*
ibid. quod ultimum quidem, Jure Civili secus fuisse vide-
tur ex *l. 26. ff. de jurejur.* Verum ibidem non tam hoc deci-
ditur an in tenera ætate aliquis ad juramentum vocan-
dus vel autoritate publica admittendus sit, quam hoc,
quod parti alteri qui pupillum juramentum litis decisio-
rium jurare fecit, eidem contravenire amplius non liceat,
eo quod in tale juramentum semel confenserit.

Th. XI.

Hiscæ Juris Divini ac Moralis requisitis, propter ho-
minum ad mendacia proclivitatem, & ut per externa re-
ligio injiciatur, quæ eo magis à perfidia & perjurio deter-
reat certi accesserunt ritus, quibus non adhibitis jura-
mentum in illis ubi solenne requiritur pro præstitione non
habetur, nisi expresse ille cui jurandū in hoc confensense-
rit. *vid. l. 3. in f. l. 4. § 1. 5. pr. l. 33. ff. de Jurejur. l. 1. C. si adv.*
vendit. vel extrajudicialiter, sub expressâ tamen invoca-
tione nominis divini jurata contestatio facta. *Carpz. p. 2.*
c. 16. def. 6. n. 6. § seqq. Sic primo in judiciali seu corporali
juramento requiritur ut erectis tribus digitis prioribus,
reliquis duobus in manum depreffis, juramentum præ-
stetur

stetur, quo ritu antiquitas jurantes commonefacere voluit Sacro Sanctam Trinitatem, tribus erectis digitis significatam, tam certo presentem esse, omniaque verba ac cogitationes ita animadvertere, ut jurans digitos suos ad sanctissimum hoc numen erectos distincte videt, illisque Trinunum Deum compellit; Depressi vero duo reliqui digiti denotant corpus ac animam jurantis, ad indicandum, jurantem hisce duobus digitis, corpus ac animam suam omniscio DEO offerre, ut si falsum dixerit, ille temporalibus ac æternis pœnis hoc vindicet; quod ex intimis cordis penetralibus eo certius procedere, foeminis injungi solet, ut manum ita dispositam sinistro pectore admoveant, qui ritus horumque denotatio, rudioribus antè præstationem juramenti à pio Magistratu cum maxima devotione distinctè explicandi; quo facto ad excitandam majorem reverentiam & devotionem ostia & fenestræ aperiri ac in ipsa invocatione sanctissimi nominis Divini, omnes in judicio præfentes caput aperire, & sedentes surgere solent. *vid. Wesenb. in parat. ff. de Iurejur. n. 6. in fin. ibique Habu.*

Th. XII

Secundo, humano instituto debetur, quod juramentum, five in illo facienda invocatio nominis Divini certa formula concipi soleat, quam jurantes præcisè adhibere debent. e. gr. So wahr (oder als) mir GOTT helffe, cui in nonnullis loci adiungitur, durch seinen lieben Sohn unserm Erlöser; vel quod juxta sensum idem est und sein heiliges Evangelium, *vid. Carpz. p. 2. Const. 16. def. 6. per tot.* Interim tamen ubi quæstio est de extrajudiciali juramento, contestatio alia, e. gr. bey dem Wort der ewigen Wahrheit, Item bey seinem Eyde, it. bey GOTT,

GOTT, vel GOTT sey Zeuge, it. bey seiner Seelen,
 quo ad firmitatem promissionis, æque obligatoria ha-
 benda, dummodo deliberato animo, & non inconsulto
 ex prava consuetudine talia verba adhibita fuerint, vid.
 Struv. *dict. Exerc. 17. tb. 12. cum ibid alleg.* & hæc sententia,
 licet, hic quodammodo dissentiat *Carpz. d. 1. eo rutilior &*
æquior est, quo indubio animæ consulendum, & perfid-
diæ occasio amputanda. vid. c. 12. xxii. q. 5. Quod autem
 frequentatas olim contestationes, bey Fürstlichen,
 Gräfflichen, u. Ehren, Adlicher Parole. Bey chr-
 stlicher oder Christlicher Treu und Glauben, & similes
 attinet, quibus Majores nostri ingenui & probi, compe-
 tenti honoris prærogativa sese abdicaturus ac infames
 se fore si promissa non servaverint, se obligabant; hoc-
 que majori sinceritate servabant, quam hodie proch do-
 lor vix ullo juramenti vinculo successores illorum con-
 stringi possunt; optandum equidem esset, transgresso-
 res similium asseverationum, à quocunque honesto
 confortio ac dignitatis gradu arceri, ac ab omnibus bonis
 vitari, donec emendatis moribus veraciores existerent;
 attamen in foro externo, in illis ubi juramentum requi-
 ritur, talis antiquæ germanæ fidei contestatio, non atten-
 ditur, vid. Covarr. *in C. quamvis p. 1. Ames d. conscient.*
lib 4. C. 22. q. 3. n. 16. Franzk. *ad tit. d. Jurejur. n. 25. & seqq.*
Carpz. dict. p. 2. Const. 16. def. 5. cum ibid. alleg.

Th. XII.

Tertio. Licet Juri Divino admodum consentane-
 um videatur, etiam Sabbatho aliisque diebus, feriis Divi-
 nis destinatis litibus decidendis fopiendisve operam da-
 re imo certissimum sit, neminem DEUM recte colere
 eique placere posse nisi in charitate cum proximo vivat.
vid.

vid. 1. Cor. 6. v. 7. 8. 9. Matih. 5. v. 23. 1. Ep. Job. 4. v. 20. Luc 14. v. 5.
 Et inde quoque juramenta, utpote quæ maxime ad deci-
 dendas lites pertinent, ad *Ebr. 6. v. 16.* die Dominico & aliis
 ad Divinum cultum feriatis diebus præstari, in se non di-
 sconveniens sit; Quia tamen, processus super rebus ex-
 ternis, ab illis qui probi sunt, citra qualescunque odium er-
 ga personam, inquirendo tantum in veritatem juris vel
 facti, quod quisque contra alterum præ tendit, haberi quæ-
 dem & continuari possunt, ejus autem ventilatio cog-
 nitiove animos ita distrahit, ut non simul homines instru-
 ctioni ad æternam salutem, & cultui Divino, præparato
 animo, vacare possint imo proh dolor! partim ex pon-
 ficiis aliorumque moderni processus inventorum per-
 versâ iniquè dominandi intentione, partim ex judicium
 tum avaritiam tum inscitiam, partim ex advocatorum ne-
 quiam, & denique ex impunita partium iniquitate, eorum-
 que implacabili & plus quam pagano odio, eo devenit
 in nostra Germania est, ut nihil minus sanctum magisque
 profanum videri possit, quam prolixus ille, cui potissi-
 mum Jus Canonicum ansam dedit, in plerisque Germa-
 niæ provinciis usitatus processus; ideò pro tuenda san-
 ctitate Divini cultus introductum, ne quovis tempore ju-
 ramenta Solennia præstentur vel exigantur. *vid. Can. 17*
Caus. 21. qu. 5. Quapropter licet Juramentum sit species in-
 vocationis Divinæ citatus tamen ut juramentum feria-
 to die præstet, vel præstari videat, non tenetur compa-
 rere, sed citatio ipso jure, nulla, in tantum ut nec partium
 consensu hoc tolli possit. *l. 7. C. d. fer. iunct. l. 36. ff. de re-
 cept. arbitr.* quod tamen ad Christianas compositiones
 coram Presbyterio, (cessante omni externa coactione)
 extendendum non est; Juramenta quoque quæ privata
 au-



autoritatē diebus feriatis, licet peccaminosē præstita sunt; Servari tamen cæteris paribus debent.

Th. XIV.

Porro videndum in quibus causis jurare liceat, ac præstitum jusjurandum effectum habeat: de quo jure Divino videtur expeditum, in omnibus causis quæ aliter expediri non possunt, juramenta rectè adhiberi, ac per hoc lites cum effectu decidi. *Ep. ad Ebr. 6. v. 16.* quod quidem in perfectiori Christianismo, omni dubio careret, & in corrupto nostro statu non inconcinne locum habere posset, ut in foro externo contra juramentum ad sopiendas lites, consensu partium præstitum, in nulla causa amplius actio concedatur, licet obligatio, cui al. quis pejerando se eximere voluit, nulla humana conventionē tolli possit; Quia tamen depravato hoc sæculo in nonnullis causis reipublicæ seculari quoque interest, ne per perjurium legum externæ coactioni quis eximatur, plerique etiam propter ingens temporale commodum animæ salutem negligunt; aliæ civilis interdum subest ratio, ideò in certis causis juramenti præstatio non admittitur nec juratum attenditur; e. g. *primo* in causis capitalibus tam propter interesse Reip. quam ob metum perjurii, nullum juramentum, nec voluntarium nec necessarium, ab una alterave parte exigere vel admitti debet. In his enim ex parte actoris probationes luce meridiana clariores esse debent. *l. f. C. d. probat.* & ex parte vero rei vix dubitari potest illum pejeraturum, qui atrocioris criminis contra rempublicam vel proximum commissi suspectus est juxta verissimum effectum. *1. Job. 4. v. 20. 21. can. 13. 54. 56. X. de test. & attest.* Unde illi qui in criminibus capitalibus juramentum purgationis decernunt, æque ac illi qui juramen-

G

mentum accusato deferunt , peiori loco quo homicida habendi. *can. 5. & can. 6. XXII. qu. 5. vid. Struv. diſſ. Exerc. 17. tb. 40. 44. & 46. cum ibid. alleg.* potius reus gravatus absolvendus ab iſtancia, vel propter graviora indicia aut probatam ejus culpam extraordinaria pœna afficiendus. *Secundo* qui de violata matrimonii fide convenitur, ille contra Divinum hoc vinculum, ad nullum juramentum admittendus, quos enim Deus conjunxit, homo nec juramento ſeparet, & quomodo de perfidia juramenti ſe liberet? qui de perjurio accusatur; illud tamen à Dd. comm. male ad Sponſalia trahitur contra hæc enim & juramentum voluntarium iudiciale, & neceſſarium, cœteris paribus locum habere, ſtatuímus, quod alibi fuſius explicabitur. *Tertio*. In cauſis civilibus ex quibus ingens lucrum vel damnum alicui imminet, juramentum non niſi ex conſenſu partium ordinarie locum habebit, *Gail. 1. Obſ. 108. n. 11.* quod ex eadem ratione Jure Saxónico rectè ad cauſas famoſas extenditur; *Carpz. p. 1. Conſt. 12. deſ. 31. n. 4. cum ibid. alleg.* Si tamen in his, juramentum delatum acceptetur, illud etiam hoc jure admittendum cenſeo. *Quod* autem *Lauterb. in colleg. Pandect.* de juramento litis deciforio exiſtimat illud in genere in cauſa injuriarum rectè deferri per *l. 5. §. 8. & l. 11. §. 1. ff. d. injur.* item quod *Carpzovius & ex vo Struvius Syn. Jur. Civ. Exerc. 17. tb. 40.* Si ex injuria civiliter agatur hoc admittunt, ſecus ſi criminaliter, illud non immerito in dubium vocatur; Cum enim in cauſis injuriarum verbatim de læſâ reputatione agatur, nemo autem injuriam (quæ in quæſtionem venit) audiverit, & ipſe reus quicquam injurioſi de actore publice fateri non audeat, & ſic exiſtimationi ejus nihil detractum ſit, potius ſtatuo,

in tali casu actionem injuriarum plane cessare, & sic delationem juramenti prorsus locum non habere; neque contrarium Jure Civili contineri utpote quod in *d. l. s. §. 8. d. injur.* Solum super injuria reali ex singulari permissione L. Cornetiæ, delationem juramenti admittit; quod magis probat regulam in contrarium esse, cui opinioni omnes, qui quantum sit jurare recte perpendunt, facile ad stipulantur.


Th. XV.


Ex hisce de licito usu juramentorum currenti calamo delineatis gravissimus illorum abusus facile apparebit: qui eo usque processit, ut nihil frequentius in Judiciis & extra illa audiatur quam horribilis profanatio sanctissimi nominis Divini, & irrelevantium si non falsorum juramentorum omnia sint plena, non dicam hic de juramento Homagii & Subjectionis, cum licet solennis promissio subjectionis eine Huldigung, vel Gehorsams Bersprechung neuer Unterthanen, sæpius necessaria sit, juramentum tamen ibidem indifferenter ab omnibus exigere ubi vi externa unusquisq; non minus ad observationem fidei injuratæ quam juratæ cogi poterit, periculosum videtur; inter alia in specie, calamitates multarum Academiarum, forte non sine fundamento, maximæ Profanationi nominis Divini adscribendæ, dum juvenes studiosi ad jurandum illa compelluntur, quæ raro ab illis tam stricte observari experientia testis est, potius paternis correctionibus juveniles æstus emendandi, quam omnis temporalis ac æterna salus Studiosorū per juramentum in periculum exponenda Neq; dicam de juramento vasallitico, de cujus justitia æg; dubitari posset, dum sub pœna felonix Vasalli intra fidelitatis limites satis contineri possent



sent, neq; juramentis vel publicorum vel quasi publicorum officialium immorabor, qui omnes pro re nata rigidis coercitionibus magis quam juramento, functionibus ipsis demandatis satisfacere, constringerentur, similique modo pleraque alia juramenta promissoria & assertoria aliis remediis rectius evitarentur; illud vero præprimis dolendum quod per abusum juramentorum dandorum respondendorum calumnie generale ac speciale, in litem expensarum cautionis Advocatorum, appellationis variorumque aliorum, sanctissimus locus judicii in multis Germaniæ provinciis ita inquinetur ille propter tot & tantas sanctissimi nominis divini profanationes ne dicam perjuria fere abominandus videatur, quæ singula hic persequi instituti ratio hac vice non patitur. Illud in genere tantum addens, nobis magis pium ac sacris literis conveniens videri, ut privatim nemini impune jurare liceat, sicut quoque in veteri Jurisprudencia hoc turpe credebatur. *l. 20. ff. d. cond. & demonstr.* publica vero autoritate nullum aliud admittatur juramentum quam quo lis finiatur uti est litis decisorium, suppetorium & purgationis, item testium, aut si alia causa maxime ardua subsit, quæ aliter expediri plane non posset, nisi illa ad DEI tribunal per juramentum remittatur, talem enim remissionem in juramentis præcipuè judicibus expressè fieri, ac inde in foro externo nullam pœnam perjurii, (quod satis verum ultorem habet) statuendam, impium tamen lucrum perjuro excutiendum esse, asserere non dubito *vid. l. 1. & 2. junct. l. fin. inf. C. d. req. Cred. & Furej* illumque tanquam infamem & pessimum mortalium omni Christiano commercio excludendum, ac pro improbo & detestabili habendum donec post infucatam ac publice contestatam pœnitentiam ecclesiasticam, arduis precibus cum & pro ipso DEO oblati recipiatur. Si quis tamen falso testimonio alicui nocuerit, insuper ad reparationem damni ex L. Aquilia adigatur aut si in ære non habeat, vel etiam vitæ vel corpori alterius damnatum perjurio causavit pro modo circumstantiarum graviter in ipsius corpus animadvertatur, & sanctificetur semper nomen Domini cui sit Laus & Gloria in æternum.

☪ (O) ☪





99 A 6925

ULB Halle

002 546 892


3




sc

VD 17







N. D. N. J. C.
RTATIONEM
De

TO USU

AVISSIMO

URAMENTO-

RUM,

MODERAMINE

RICI BODINI,

amigeratiffimi,

. Brandenburgici Confi-

Ducatus Magdeburgensis meri-

tatis Juridicæ Professoris

Graviffimi,

troni ac Cognati

in devenerandi

RI FRIDERICIANA

publice ventilandum sifit

LUS VOGEL,

dia Westphal.

DC XCIV.

E MAGDEBURGICÆ,

ENCKELII, Acad. Typogr. 1714.